

tunc enim Diaconus, aut Clericus minor, aut etiam Laicus posset baptizare: etiam, ut videtur, posset mulier fidelis, præsente pagano, aut hæretico, propter periculum perversæ intentionis, & reverentiam Sacramenti.

An autem posset obsecratrix, aut alter Laicus, præsente Sacerdote excommunicato? Arbitramur probabilis cum Sylvestro, Navarro, Suarez, & aliis, quod posset, & deberet; quia excommunicatus cap. *Per venerabilem* §. *Sunt autem*, extra l. 4. tit. 17. traditus est Satanæ, & veluti mortuus a communione Fidelium separatur. Præferenda autem videtur mulier viro ab Ecclesia separato, quoad rem Ecclesie. Neque obstat, quod baptizare sine solemnitate in necessitate non sit actus Ordinis, non enim in hoc facimus vim; sed in hoc, quod sit separatus ab Ecclesia: ideoque in officio Ecclesie, quod per utrumque potest fieri, sit postponendus Laico in Ecclesia existenti.

Petes 2. Quale sit peccatum ordinem statutum sine causa invertitur; R. cum communiore sententia, quod prætermittit Sacerdotem etiam consentientem sit peccatum mortale; quia Sacerdos vi suæ ordinationis est Minister ex officio, & ideò jus illius ortum ex potestate Ordinis læditur in re gravi: nec potest Sacerdos huic juri renuntiare sine injuria Ordinis, & Sacramenti. Idem multi probabiliter existimant, si prætermittatur Diaconus; quia Diaconus, ut dictum est, vi Ordinis potest ex commissione conferre Baptismum etiam solemniter, ex quo acquirit ipsi jus speciale, licet incompletum, & mediatum ad Baptismi collationem: unde videtur gravis injuria illi Ordini, & Sacramento illata, si istud jus ab alio usurpetur. Neque tamén improblem censo sententiam aliorum, qui volunt, quod violatio juris remoti, & indirecti non sit tam gravis, ut constituat peccatum mortale; quod non debet asseri sine gravi fundamento. Probabilis est autem, quod, si prætermittatur Subdiaconus, a fortiori Clericus minor, aut vir Laicus, non sit nisi peccatum veniale: cum enim nulli horum competat etiam remotè, & indirectè baptizare ex officio, nec ideò ullus sit proprius Baptismi Minister, nullius jus videtur violari, saltém graviter; nec nisi levis irreverentia Sacramenti.

Petes 3. Utrum aliquis possit baptizare seipsum? R. negativè: 1. (*Hic q. 66. art. 5. ad 4.*) Quia dicendo *baptizo me*, mutaretur essentialiter forma. 2. Quia Baptismus est quedam regeneratio spiritalis; sicut ergo nemo potest generare seipsum, ita ne seipsum baptizare. 3. Quia esset contra institutionem Christi, qui Minister, & subjectum Baptismi aperte distinguit, dum dixit: *Baptizantes eos*; unde ipse voluit baptizari a Joanne. Et ita definit Innoc. III. cap. *Debitum*, Extra l. 3. tit. 42. Neque obstat, quod quis etiam Laicus possit se communicare, ut olim factum legitur apud Cyrillum Jeros. Catech. 5. Aliud enim nutriti, aliud gigni: potest quisquis seipsum nutrire, non potest seipsum gignere.

Petes 4. Utrum plures validè possint simul unum baptizare? Pono validè licet enim non posse, certum est; cum hoc sit contra morem Ecclesie, & institutionem Christi, qui, cum sit unus, voluit per unum ministrari Sacramentum, ut môx dicam. R. unum posse a pluribus baptizari triplici modo; & secundum diversum modum quandoque Baptismus esse ratum, quandoque irritum. Igitur 1. (*Hic q. 67. art. 6. o.*) Vel plures simul effundunt aquam, & dicunt, *nos te baptizamus*, intelligendo *baptizamus* conjunctim, ita ut concurrant tamquam causæ partiales ab invicem dependentes; sicut, si plures trahentes navium dicerent, *trahimus navim*. Hoc modo non valet Baptismus, quia videtur esse contra rationem ministerii; homo enim non baptizat nisi ut Minister Christi: unde, sicut Christus est unus, ita oportet esse unum Ministrum, qui Christum repræsenteret, & sua actione totali, ut patet ex usu Ecclesie, tamquam Minister integer faciat totum, quod significant verba formæ, *Ego te baptizo*. Et ideò intentio contraria videtur excludere Baptismi Sacramentum. Si tamén intelligerent *te baptizamus* divisim, ita ut singuli intenderent baptizare totaliter, & independentè ab invicem, valeret Baptismus; quia tunc adesset materia, forma, & intentio, perinde ac si unusquisque diceret, *Ego te baptizo*, sicut in modo sequenti.

2. (*Ib.*) Vel singuli effundentes aquam dicunt, *Ego te baptizo*, tamquam causæ totales, & ab invicem independentes; quod posset contingere in casu, quo singuli contentiosè aliquem baptizare conarentur: hoc modo valet Baptismus, quia singuli expriment suam intentionem, & quasi singulariter Baptismum conferunt: sic tamén, ut qui prius verba proferret, darer Sacramentum, alius verò nihil faceret; & sic si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omninò simul aquam effunderent, & verba proferrent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, sed non de iteratione Baptismi; quia singuli intenderent non baptizatum baptizare, & uterque quantum in se est baptizaret: nec traderent aliud, & aliud Sacramentum: sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.

Neque repugnat, quòd unus effectus procedat ab una causa principali per plura instrumenta, præsertim quando effectus est supernaturalis, ut in casu. Aliudè formæ, & materię hic multiplicatur materialiter tantum, & in esse naturæ, non formaliter, & in ratione formæ, & materię Sacramenti; quia ab agente principali, qui est Christus, diriguntur ad unum, & recipiuntur in uno subjecto, quod non est capax nisi unius Baptismi. Undè, quando Auctor suprâ q. 66. art. 5. ad 4. dicit, quòd *actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfectè ab unoquoque agatur*, intelligendus est non de agentibus virtute alterius, sed de agentibus virtute propria; & ideò dicimus, ablationes multiplicari in esse naturæ.

3. (*Ib.* ad 3. & q. 66. art. 5. ad 4.) Vel tandem sic plures baptizant, ut unus effundat aquam, & alter formam proferat, ut si unus esset mutus, & alter brachiis truncatus: hoc modo non valet; quia integritas Baptismi consistit in forma verborum, & in usu materię: & ideò neque qui tantum aquam effundit, baptizat, quia non proferat formam; neque ille, qui tantum verba proferat, quia non applicat materiam, & falsa est forma, dum dicit, *Ego te baptizo*, cum ipse non abluat, nec consequenter baptizet. Neque etiam dici potest, *Nos te baptizamus*, cum neuter baptizet. Neque potest adhiberi forma Græcorum, *Baptizatur servus Christi*, quia subintelligitur a me, seu meo actu.

Petes 5. Utrum non urgente necessitate liceat baptizare extra Ecclesiam, in qua sunt Fontes baptismales? R. cum Navarro in Man. c. 22. n. 7. & pluribus aliis negativè, nisi agatur de Filiis Regum, aut Principum. Itâ statuit Conc. Vien. sub Clemente V. ann. 1317. & refertur Clementina Præsenti l. 3. tit. 15. his verbis: *Præsenti prohibemus Edicto, ne quis de cetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc Fontes specialiter deputati, aliquos nisi Regum, vel Principum, quibus valet in hoc casu deferri, liberi exiterint; aut talis necessitas emergerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi, audeat baptizare: qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quòd alii attentare similia non præsumunt*. Idem jam prohibuit Conc. Meldense ann. 845. c. 48. Undè Rituale Pii V. sic habet: *Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis itâ de parentibus: dummodò id fiat in eorum Capellis, seu Oratoriis, & in aqua baptismali de more benedicta*.

Hinc graviter sunt culpandi Parochi, qui honoris causa, vel alio simili motivo humano, nobilitatem infantem baptizant domi, etiamsi in Sacello domestico, aut qui, ut expectent Patrinium absentem, baptizant privatim, seu ut communiter dicitur, assurant domi infantem, suppleturi post adventum Patrinii rituum solemnitatem in Ecclesia.

## ARTICULUS IV.

De Susceptoribus baptizandorum, seu Patrinis, per varias Questionum.

Quamvis hæc materia proprie pertinet ad cæremonias Baptismi, de illa tamén hic agit Auctor; quia Patrinus esse debet ad instar Ministri in Baptismo solemniter.

Petes 1. Utrum in Baptismo solemniter requiratur Susceptor, seu Patrinus? R. afirmativè. (*Hic q. 67. art. 7. o.*) Prob. ex Dionys. c. 2. cœlest. Hierarch. ubi dicit, quòd *Sacerdotes assumunt baptismatum, tradunt eum ad educationem susceptoris, & duci*. Ex Tertull. l. de Bapt. ubi Susceptores vocat *Sponsors*. Ex S. Basil. Ep. 128. ex S. Chrysost. Hom. 72. in c. 4. 1. Cor. Ex Aug. serm. 116. de Temp. Ex usu Ecclesie, ubique recepto, & vetustissimo, cujus post Apostolorum tempora institutio non invenitur, & quem ideò constat esse Traditionis Apostolicæ, ut expressè affirmat idem Dionys. c. 7. ibid. Unde esset peccatum mort. baptizare solemniter sine Susceptore.

Ratio hujus institutionis congrua est; (*Ib.*) quia spiritalis generatio, quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. Unde dicitur. 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes*, &c. atqui in generatione carnali infans recentè natus indiget nutrice, & pedagogo: ergo, & in spiritali generatione requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pedagogi, informando baptismatum quasi novitum de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam, ad quod Prælati vacare non possunt, circa communem populi curam occupati; parvuli enim, & novitii indigent speciali cura præter communem.

Dixi: in Baptismo solemniter; quia, ut jam dictum est, Susceptor pertinet ad solemnitatem, & non necessitatem, Sacramenti: neque Jura loquuntur, aut intelliguntur nisi de Bap-

tismo solemniter. Et ratio est; quia in Baptismo privato propter necessitatem collato, si puer statim moriatur, non indiget Susceptore; si supervivat, designabitur susceptor, dum solemnitates adhibebuntur.

Utrum, si nihilominus adhibeatur Patrinus in Baptismo privato, sit verè Patrinus, & contrahat cognitionem spiritualem? Affirmant plures; negant alii, &, ut videtur, probabilis; quia institutio Patrinis est ex præscripto Apost. seu Ecclesie; Ecclesia autem de Baptismo privato nihil ordinavit quoad Patrinus. Sed de hoc latius, dum de imped. matrin.

Petes 2. Ad quid teneantur Patrinus, & Matrinx? R. (*Ibid.* art. 8. o.) Eos teneri sub gravi peccato susceptos imbueri fide, religione, & moribus; quia hoc pertinet ad officium pedagogi, quòd susceperunt. Et itâ statuitur Cap. *Vos autè* de Cons. d. 4. ex Aug. Hæc autem obligatio maximè urget eo tempore, loco, in quo baptizati inter Infideles, & Hæreticos nutriuntur; quia, si nutriuntur inter Christianos Catholicos, possunt Patrinus ab hac cura eximi, presumendo quòd a suis Parentibus diligenter instruantur. Si tamén quocumque modo cognoscere contraherent, tenerentur secundum modum salutis spirituum filiorum curam impendere. Insuper contrahunt cognitionem spiritualem cum baptizato, & ejus patre, & matre. De qua alibi. Vide Catech. Rom. p. 2. de Bapt. n. 22.

Petes 3. Quæ conditiones requirantur, ut quis sit Patrinus? R. 1. Debet habere animum munus Patrinus suscipiendi; si enim ex ignorantia, aut ex necessitate, v. gr. ut cadentis succurrat, infantem, dum baptizatur, tangeret; aut licet designatus non habet intentionem suscipiendi id munus, non esset verè Patrinus; quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. 2. Debet esse designatus a parentibus, aut in eorum defectu a Parocho; itâ ut, qui se ingerent non designati, non essent Patrinus. Itâ statuit Conc. Trid. Sess. 24. de Ref. Mar. c. 2. 3. Probabilis debet tangere baptismatum, non quidem necessario immediate, sed mediântibus, vel vestibus, vel linteo, vel disco, ut probabimus, & de imped. matr. ubi ista fusiùs discutuntur ratione cognitionis spiritualis, quam contrahit verus Patrinus.

Sed quid de illo, qui, post Baptismum domi validè collatum, adhibetur Patrinus, dum suppletur cæremonia in Ecclesia? Tenetur quidem ad officium Patrinus quoad instructio-

nem, cum illud spontè subeat; non tamen contrahit cognitionem spiritualem: quia, ut dicit Auctor, (*Suppl. q. 56. art. 2. spiritalis cognatio non contrahitur, nisi per aliud Sacramentum*).

Petes 4. Quando quis suscipit infantem per procuratorem, quis sit Patrinus, an ipse committens, vel commissarius? R. Quòd sit committens; quia ipse est designatus, & se offert, suscipitque infantem per alium vices ejus gerentem: quod autem facit quis per alium, censetur facere per seipsum.

Petes 5. Utrum possint esse plures susceptores ejusdem infantis? R. Trid. Sess. 24. cit. 4. Statuit, ut *unus tantum vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiat*.

Petes 6. Utrum omnes indiscriminatim possint admitti ad hoc munus. R. Nullus debet admitti, qui non sit idoneus ad suum officium implendum, filiolus doctrina Fidei, & Christianis moribus informando, patet ex se. Hinc excludendi sunt: 1. Infideles, Hæretici, Excommunicati, Interdicti, Criminosi, Infames, mente capti. Itâ Rit. Rom. 2. Qui nesciunt saltém Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. Itâ secunda Synodus Mediolan. Decreto 1. sub S. Carol. Borr. 3. Impuberes, & non confirmati, juxta idem Rit. Rom. Usus tamén invaluit saltem in his partibus, ut si impubeserit Parochi sint sufficientè instructi, etiamsi non confirmati, admittantur.

Petes 7. Utrum Regulares possint esse Patrinus? R. negativè. Id enim eis prohibetur cap. *Non licet* 130. de Consecr. d. 4. his verbis: *Non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere*. Et in Rit. Rom. *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimonialles, neque alii cujuscumque Ordinis Regulares a sæculo segregati*. Excipiuntur autem juxta Glossam in Cap. *Statutum* Causa 18. q. 1. Regulares facti Episcopi, & ex usu contrario Abbates saltem in certis locis.

Petes 8. Utrum Parentes possint suscipere propriam prolem? R. Id graviter ipsis prohiberi Cap. *Prævenit* in ead. causa 30. q. 1. Ratio est; quia adhibetur Patrinus, ut in defectu parentum curent instructionem infantis: ergo ipsi parentes non possunt esse Patrinus. Adde, quòd suscipiens contraheret cognitionem spiritualem cum sua compare.

Confert, quæ dicam de cognitione spiritali in Tract. de Matrin.

## DISSERTATIO III.

## DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

## D. Thom. Quest. 68.

## ARTICULUS I.

Utrum Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem?

Præter Manichæos, Paulicianos, Selencianos, & Hermianos, qui rejecerunt Baptismum in aqua; Quintilliani, & Cajani secundo sæculo, teste Tertull. l. de Bapt. c. 1. dixerunt, Baptismum non esse ad salutem necessarium, sed fidem sufficere. Quinto sæculo Pelagiani, negantes peccatum Orig. negabant Baptismum esse necessarium ad ejus deletionem, sed, Augustino urgente illud Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei*, admiserunt Baptismum esse necessarium ad consequendum Regnum Cælorum, non tamén ad vitam æternam consequendam, quam a Regno Cælorum distinguebant Wiclef, Zuinglius, & Bucer dixerunt, Baptismum non esse necessarium infantibus prædestinatis Calvinus libr. 4. Insit. agnoscit, Baptismum esse necessarium ex præcepto, sed negat esse necessarium ad delendum peccatum Originale, maximè in infantibus Fidelium, quos contendit in utero matris esse sanctificatos. Sociniani, de stirpe Calvinistarum orti, præceptum Christi Matrh. ult. *Euantes docete*, interpretantur de doctrina, seu instructione; aut, si sit intelligendum de Baptismo, dicunt non esse præceptum universale, & perpetuum, sed pro certis personis, & ad tempus; denique Baptismum nihil aliud esse, quam exterior signum Professionis Christianæ, nihil gratiæ conferens, proinde esse ritum liberum, & indifferentem.

Gerson, Cajetanus, & quidam alii Catholici arbitrati sunt, ad salutem parvulorum sufficere eorum Baptismi a Parentibus, seu aliis conceptum: addit Cajetanus cum signo exteriori, seu benedictione sub invocatione SS. Trinitatis. Quam opinionem ut singularem, & fidei minis consonam S. Pius V. ex Cajetani Commentariis in D. Thom. jussit expungi.

Theol. Billuart. Pars Tertia.

Dupliciter dicitur aliquid necessarium ad salutem, scilicet, necessitate mediè, & præcepti. Illud est necessarium necessitate mediè, quod independentè ab omni præcepto itâ est necessarium, ut illo sive culpabiliter, sive inculpabiliter omissio, salus haberi non possit. Necessarium necessitate præcepti dicitur, quod præceptum est, & ideò observandum; itâ ut, si voluntariè omitatur, committitur peccatum, per quod impeditur salus. Distinximus suprâ triplicem Baptismum, Fluminis, Flamini, & Sanguinis. Baptismus fluminis est baptismus aquæ; Baptismus flaminis est perfectæ contritio cum voto Baptismi, & dicitur Baptismus in voto; Baptismus sanguinis est martyrium. His prænotatis.

Dico 1. (*Hic q. 68. art. 1. & 2.*) Extrâ casum martyrii Baptismus aquæ est omnibus necessarius ad salutem, adultis in re, vel in voto; infantibus in re. Prob. 1. (*Ib.* in arg. s. c.) Ex lege generali a Christo lata Joann. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Hunc textum a falsis interpretationibus Calvinistarum, qui illum ad sensum metaphoricum detorquent, vindicavimus Dissert. 1. art. 3. §. 1. Intelligendum autem esse de Baptismo in re, vel in voto pro adultis, probavimus ibid. art. 6. §. 1. Pro infantibus verò, qui voti sunt incapaces, patet esse intelligendum de Baptismo in re.

Prob. 2. (*Ib.* o.) Argumento deducto ex Scripturis. Nemo potest salvari nisi per Christum, sic ut illi incorporaretur, & fiat ejus membrum; atqui homo per Baptismum Christo incorporatur, & fit ejus membrum, juxta illud Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Et 1. Cor. 12. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*: ergo. Si dicas, hominem Christo incorporari per fidem, juxta illud Ephes. 3. *Christum habitare quidem in nobis per fidem, sed signo visibili Baptismi exhibitum, & assertum*. Voluit enim Deus, quòd omni tempore fidem nostram in ipsam per aliquod

Mm sig-

signum visibile protestarentur, in Lege naturæ per sacrificiorum oblationem, in Lege nova per Baptismum. Item: Nemo potest salvari sine eo, cui annexa sunt spiritualis regeneratio, renovatio, mundatio, remissio peccatorum, denique salus; atqui hæc sunt Baptismo annexa: Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S. Ephes. 5. Mandans lavacro aquæ in verbo vite Act. 2. Baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum.* 1. Petri 3. dicimur salvari per Baptismum, sicut pauci salvati facti sunt per arcam Noë: ergo.

Prob. 3. Ex Patribus Tertull. l. de Bapt. c. 13. adversus Quintilianos, & Cajanos, qui dicebant Baptismum non necessarium, sed fidem sufficere, idque probabant exemplo Abrahæ, qui nullius aquæ, nisi fidei Sacramento Deo placuit. Sic arguit: *Fuerit salus retrò per fidem nudam antè Domini Passionem, & Resurrectionem; at ubi fides aucta est, credendi in Nativitatem, Passionem, Resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quoddammodò fidei, quæ retrò erat nuda, nec potest jam sine sua lege. Lex enim tingendi imposta est, & forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Hinc legi collata definitio illa, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non intrabit in Regnum Cælorum, obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tingebantur; tunc & Paulus, ubi credidit, tinctus est. His verbis Tertull. aperte asserit, Baptismum esse necessarium non solum necessitate mediæ, ut dicimus in presenti conclusione, sed etiam necessitate præcepti, ut dicemus in sequenti. Origenes Hom. 14. in Lucam: *Quia, inquit, per Baptismi Sacramentum navitatis rorides deponuntur, propterea baptizantur parvuli: Nisi enim quis renatus fuerit, &c. Similiter Hom. 8. in Levit. & libr. 5. in c. 6. ad Rom. Cyrillus Jerozol. Catechesi 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres, qui sine aqua regno cælesti potiuntur.* Mitto Justinum in Apolog. Irenæum l. 2. c. 25. & 27. & plures alios quatuor priorum sæculorum; quibus constat, non Ambrosium, & Aug. primò induxisse necessitatem Sacramenti pro parvulis, ut fingunt Novatores, Ambros. l. de Mysteriis c. 4. ait, *Credet Catechumenus... sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. remissionem non potest accipere peccatorum, spiritualis gratiæ munus haurire.* L. 2. de Abraham c. 11. *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* D. Aug. dubitari non potest, cum ubique ex necessitate Baptismi probet contra Pelagianos peccatum Originalem. Quosdam textus mox referam. S. Fulgentius ejus discipulus l. de Fide ad Petrum c. 7. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in utero matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine Sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, &c. de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Quid intelligat per ignem æternum, explicuimus dum de peccato Originali.**

Prob. 4. Ex Conciliis. Conc. Carthag. 4. apud Aug. Ep. 90. nunc 175. nomine Concilii ad Innoc. Papam missa, sic definit: *Quicumque negat, parvulos per Baptismum Christi a perditione liberari, & salutem percipere æternam, anathema sit.* Idem decrevit Conc. Milevit. teste eodem Aug. Ep. 92. nunc 176. cui Concilio respondens idem Innoc. Ep. seq. dicit: *Quod eos (Pelagianos) vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vite præmiis sine baptismatis gratia posse donari, per fatum est. Tit. 6. c. 4. docet, quod justificatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus viro, fieri non potest, sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Et Sols. 7. Can. 5. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.**

Prob. 5. ex communi sensu, & perpetua Ecclesiæ praxi. Hanc disertè testatur Aug. Ep. 28. nunc 163. ad Heron. *Quisquis, inquit, dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramento ejus participatione de vita exeunt, hic profecto, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, qui sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.* Et l. de orig. animæ c. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et ita constabat hæc perpetua, & inconcussa Ecclesiæ praxis, ut nec ipsi Pelagianus, qui negabant peccatum originale, ausi fuerint eam inficari; & idèò baptizabant parvulos, non quidem ad vitam æternam, sed ad regnum cælorum.

Dico 2. Baptismus est adultis necessarius etiam necessitate præcepti. Hæc Conclusio sequitur ex præcedenti. Nam si Baptismus sit omnibus necessarius necessitate mediæ ad salutem, manifestum est, quod omnes præcepti capaces ad illum teneantur,

1. Jure naturali, quo quisque debet suæ salutem consolari. 2. Jure divino; est enim regula generalis, quod omne mediū in sive ex natura sua, sive ex institutione divina, absolute necessarium ad salutem, si subit arbitrio nostro, cadat sub præcepto divino; si quidem nihil magis a Deo potuit præcipi, quàm id, sine quo non potest haberi salus, modo sit in potestate nostra. Neque Christus Legislator sat providisset bene, & perfectioni sui regiminis, ac suæ Reipublicæ, si non imposuisset præceptum speciale circa id, quod ad finis illius consecutionem constituit ut medium absolute necessarium; sicut defecet Princeps sæcularis, si non præciperet, quæ sunt ad bonum commune absolute necessaria.

Hoc autem præceptum divinum habemus Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Quo enim præcepto compelluntur Apostoli baptizare omnes gentes, eodem obligantur omnes gentes baptizari, sunt enim correlativa; sicut, quia præceptum est Apostolis docere gentes, ita præceptum est gentibus doceri. Item Marci 16. *Euntes in mundum universum, prædicante Evangelium omni creaturæ, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Accedit præceptum Ecclesiasticum, quod colligitur ex traditione, & constanti praxi Ecclesiæ, ut in 1. Conclusionè ostensum est.

Multa profertur Sociniani, quibus probare contendunt, hoc Christi præceptum Matth. 28. non esse de Baptismo, sed de doctrina, & instructione; aut, si sit de Baptismo, non est universale pro omnibus, nec perpetuum, sed ad tempus. Eorum rationes, ac interpretationes, seu potius fictiones, prolixè, & eruditè insequitur Honoratus Tournely; sed adèò frigidè, & contortè nobis videntur, ut eorum refutatio cuivis sensato ex ipsis textibus pervia esse possit. Idem non immemoratur.

Observandum est autem hæc, quod, quamvis hoc divinum præceptum post Evangelium sufficienter promulgatum omnes obliget; qui tamen illud ex ignorantia invincibili transgrediuntur, non peccant, nec propter illius transgressionem damnantur, sed propter peccatum originale; vel peccata actualia, quæ sine Baptismo in re, vel in voto, non remittuntur.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1. Ex his verbis Christi Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis,* non probatur, Eucharistiam esse omnibus necessarium necessitate mediæ ad salutem, ergo ex his *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non probatur, Baptismum esse omnibus necessarium necessitate mediæ. R. N. Conseq. Prima ratio disparitatis est voluntas Christi. Constat enim traditione, definitionibus, & praxi Ecclesiæ, Christum voluisse Baptismum esse omnibus necessarium necessitate mediæ, non ita Eucharistiam. Secunda disparitas est, quod Baptismus sit institutus ut renascitiam spiritualis; renascitiam autem ad novam vitam est omnibus omnino necessarium; & Eucharistia est instituta ut cibis spiritualis; cibis autem est illis solis necessarius, in quibus aliquid de viribus perditur, quo reparantur, & vita conservetur: hæc autem perditio non habet locum in parvulis, qui actualitè peccare non possunt. Tertia tandem disparitas est, quod hæc verba, *Nisi manducaveritis,* in secunda persona, dirigantur ad adultos præcepti capaces; ista verò *Nisi quis renatus fuerit* in tertia persona, dicuntur generalitèr de omnibus.

Obj. 2. Filii Fidelium nascuntur justi, & filii Dei: ergo non indigent Baptismo. Prob. Ant. Filii Fidelium sunt semen Abrahæ, Rom. 4. & 11. & Galat. 3. atqui Deus Genes. 17. promisit Abrahæ se futurum Deum ipsius, & seminis ejus. R. N. Ant. ad Prob. D. Maj. Filii Fidelium sunt semen Abrahæ secundum carnem, Transit: semen Abrahæ secundum spiritum, N. Similiter D. Min. Deus promisit se futurum Deum ipsius, & seminis ejus secundum carnem, N. Seminis ejus secundum spiritum, id est, eorum, qui habent fidem Abrahæ, C. Hanc autem fidem olim habebant, habitualitèr scilicèt, infantes per circumcisionem, nunc habent per baptismum. Solutio est Apostoli Rom. 9. *Non enim, inquit, omnes qui in Israël sunt, ii sunt Israël: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis.* Sunt autem Filii promissionis, qui habent Patrem Abraham, quatenus est Pater credentium, ut loquitur Apost. Rom. 4.

Inst. 1. Cor. 7. Apostolus vocat filios Fidelium Sanctos: ergo R. Filios Fidelium vocari ab Apostolo sanctos, non quod sint de facto, & ex ortu tales, sed quia ope, & diligentia parentum fidelium destinantur, & ordinantur ad sanctitatem per Baptismi susceptionem, & Christianam educationem. Non loquitur ergo ibi Apostolus de perfecta saneritate, sed de dispositione ad illam; sicut cum ibidem dicit, quod *Vir infidelis sanctificabitur per mulierem fidelem,* sensus est, quod mulier fidelis exemplo bonæ conversationis, adhortationibus, & ins-

tructionibus possit virum infidelem perducere ad fidem, & veram sanctificationem.

Obj. 3. Neque B. Virgo, neque Apostoli leguntur fuisse baptizati, & ita censent Tertull. libr. de Bapt. c. 12. & Chrysost. Hom. 10. in acta Apost. ergo Baptismus non est necessarius necessitate mediæ ad salutem. R. 1. longè probabilis esse, B. Virginem, & Apostolos fuisse baptizatos. Ita censent Aug. Epist. 108. Evodius S. Petri in Sede Antiochena successor apud Nicephorum l. 2. c. 3. Clemens Alex. apud Sophronium in Prato spirituali c. 176. Euthimius in c. 3. Joann. S. Thom. in hac parte q. 38. art. 6. ad 2. idque multis probat Soto in 4. d. 5. q. unica art. 2. R. 2. dato Antec. N. Cons. Potes enim Deus ex singulari privilegio B. M. Virginis, & Apostolis, independentèr à Baptismo, conferre omnem ejus effectum. Nostra autem Conclusio est intelligenda de lege ordinaria; secundum quam dicimus, quod in Lege nova jam plene, & complete instituta Baptismus sit omnibus necessarius in re, vel in voto.

Inst. 1. Viri quidam sancti diu Baptismum distulerunt. Constantinus Magnus, teste Eusebio in ejus vita c. 62. distulit usquè ad mortem. S. Ambrosius erat tantum Catechumenus, quando fuit electus Episcopus. S. Marianus, ut legitur in ejus vita, vixit 8. annis in Catechumenatu: ergo non existimabant, Baptismum esse tantæ necessitatis. R. N. Cons. Sed existimabant, sufficere votum Baptismi, ubi adessent rationes illum differendi, proit præsumimus habuisse illos Viros sanctos, fortè ex humilitate, & ut matrisque per opem pietatis se ad illum disponerent; quod si sine causa tandi distulerint, non sunt in hoc laudandi. Undè Ambrosius apud Baron. ad ann. 377. de sua dilatione doluit, & ne alii sic differant, curavit. Similitèr Aug. l. 1. Conf. c. 11. improbat, quod in se factum fuit, multique Patres acriter invehiunt in diuturniorem dilationem. Sed de hoc iterum infra.

Inst. 2. S. Cyprianus cum Africanis, & Occidentalibus, qui contendeabant contra S. Stephanum, nullum esse Baptisma Hæreticorum, & baptizatos ab illis esse rebaptizandos, hanc controversiam non ad fidem, sed ad disciplinam pertinere existimaverunt, ut diximus superius; & idèò permittebant cuiquam sentire quid vellet, & aliquando ipsimet oeconomicè causa baptizatos ab Hæreticis non rebaptizabant, ut etiam ibidem diximus, quamvis tamèn nullum reputarent hujusmodi Baptismum: ergo non existimabant, Baptismum esse necessarium necessitate mediæ ad salutem. R. ut antè, N. Cons. Ex toto enim antecedente sequitur tantum, quod existimaverint sufficere aliquando Baptismum in voto, Relucet autem controversiam de validitate Baptismi Hæreticorum ad disciplinam, & non ad fidem; non quia credebant, Baptismum non esse necessarium, sed quia ista questio de validitate, aut invaliditate Baptismi Hæreticorum, & consequenter de rebaptizandis baptizatis ab illis, non erat eliquata, & aliquo solemnè Ecclesiæ Decreto definita; ideoque permittebant cuiquam sentire, & facere quid vellet, servata unitate, & pace.

Obj. 4. Cum Gersono, Cajetano, &c. Virtus fidei in nova Lege non est immutata; atqui in Lege naturæ, & in Lege scriptæ ante 8. diem fides Parentum sufficiebat ad salutem parvulorum: ergo nunc similiter. R. 1. Secundum ea, quæ diximus in Tract. de Sacramento in genere, neque in Lege naturæ, neque in Lege scripta ante 8. diem sufficiebat sola fides parentum sine aliquo signo visibili, hujus fidei protestativo. 2. Sed esto, fidem parentum tunc sufficere, ut videtur innere Tertull. suprà laudatus, & nunc non sufficiat, id non contingit ex eo, quod virtus fidei sit immutata, sed quia adjunctum est Baptismi mandatum, ut dicit ibid. 3. Sicut, licèt observatio mandatorum sufficiat ad salutem, etiam tamen, qui Religionem profitetur, non sufficit, sed necessaria est observatio consiliorum; non quia est immutata virtus observationis mandatorum, sed ratione adjuncti.

Inferes: ergo saltem via salutis facta est nunc arctior, & infantes sunt nunc pejoris conditionis, quàm tunc; quod est absurdum: Prob. Illatio. Tunc salvabantur infantes, vel per solum fidem parentum, vel adjuncto signo sensibili ad eorum libitum; nunc verò restringuntur ad solum Baptismum: ergo. R. N. illat. ad prob. N. Cons. 1. Quia tunc rarior erat fides supernaturalis, nunc autem Baptismus, licèt in certis casibus difficilis, communitèr tamèn est omnibus pervius, nec a fide, & probitate Ministri pendet, sicutque facilis adhibetur, quàm remedium Legis naturæ. 2. Quia in Lege scripta Circumcisio non poterat conferri ante 8. diem, Baptismus autem a quocumque potest conferri ab instanti natiuitatis. 3. Per Baptismum habetur abundantior gratia, cum jure statim ingrediendi Regnum cælorum, quod antiquis erat occultum, sicut nec facta est arctior via salutis, nec infantes sunt pejoris conditionis, sed e contra.

Inst. Peccatum alienum, scilicèt Adæ, nocet infantibus ad damnationem, quidni prodesset fides aliena ad salutem? Item *Theol. Dilluati. Pars Tertia.*

salvatur infans in utero per Martyrium Matris, quidni per ejus fidem? R. 1. ad utrumque, sic placuisse Christo. Deindè ad 1. disparitas est, quod peccatum Adæ non sit infantibus alienum, & extrinsecum, sed unicuique proprium, quatenus in Adamo, qui erat caput totius generis humani, peccante omnes peccaverunt, ut dictum est de peccato orig. at fides parentum est omninò extrinsecum parvulis. Ad 2. Puer non salvatur per Martyrium Matris, sed per proprium Martyrium, quando cum Matre occiditur.

Inferes: ergo demeritum Adæ est efficacius ad damnationem, quàm meritum Christi ad salutem. R. D. illatum? demeritum Adæ est efficacius ad damnationem secundum quid, quatenus scilicèt extenditur ad plures, C. Neque id negari potest in ulla sententia. Est efficacius absolute, N. Quia meritum Christi efficacius est non solum ad delendum peccatum originale, quod ex Adamo contrahimus, sed etiam ad peccata actualia. Item efficacius est ad procuranda nobis majora bona, quàm quæ perdidimus per peccatum Adæ, ampliores scilicèt, & efficaciores gratias, quibus innumeris naturæ infirmæ, & corruptæ tentationes superemus, & in finem usquè perseverantes salutem consequimur.

Urgebis. Aug. Ep. 23. nunc 98. ad Bonif. & Bernard. Ep. 77. docent, parentum fidem prodesse parvulis ad salutem: ergo. R. D. Ant. Docent, fidem parentum parvulis prodesse ad salutem, quatenus parentes fide moventur ad eos offerendos Baptismo, C. *Cum offertur consecrandus,* inquit Aug. quatenus per eam sine Baptismo justificatur N.

Repones: Voluntas patris reputatur voluntas filii: ergo. R. D. Ant. In iis, in quibus pater est caput familiæ, & consequenter filii, C. in iis, quibus est privata persona, N. In iis, autem, quæ spectant justificationem filii, cum sint alioris ordinis quàm potestas patri, pater non est caput filii, sed privata persona.

Inferes ex hac doctrinâ: ergo infantes morientes in utero matris, & alii nati, quibus non potest conferri Baptismus, carent mediis sufficientibus ad salutem; sicutque Deus non vult omnes salvos fieri, nec Christus mortuus est pro omnibus R. N. Illationem. Deus enim instituendo Baptismum pro omnibus providet media sufficientia parvulis secundum eorum conditionem: neque tenetur ut provisor universalis interciperet miraculose causarum secundarum cursum, ne præmaturè moriantur. Insuper non incongruè dicitur, conferri parentibus auxilia sufficientia, quibus si benè uterentur, de facto suæ proles pervenirent ad Baptismum. Hanc gravem difficultatem uberius explanatam vide in Tract. de Deo Diss. 7. art. 8. Obj. 7. & 8.

Obj. 6. Hoc ipso quo ponimus, votum Baptismi in contritione perfecta inclusum sufficere, Baptismus non est magis necessarius necessitate mediæ, quàm observatio aliorum præceptorum; puta, jejuniandi, vel audiendi Missam: quia paritèr sine aliis præceptis, aut eorum votum nemo potest justificari: ergo vel votum Baptismi non sufficit, vel Baptismus non est necessarius necessitate mediæ. R. N. Sequelam. Aliter enim, & aliter concurrunt votum Baptismi, & votum aliorum præceptorum: cum enim Baptismus sit a Christo institutus ut medium ad consequendam remissionem peccatorum, & justificationem, justificatio dicit intrinsecum respectum ad illum, & dependentiam ab illo, & idèò contritio cum voto Baptismi concurrat ad justificationem ut generis vices Baptismi. At verò, cum alia præcepta non sint instituta ut media ad consequendam justificationem, sed propter alios fines, justificatio non dicit intrinsecum ordinem ad illa, neque eorum observatio positivè concurrat ad illam sicut Baptismus, sed negativè tantum, tantum removens peccatum, quod illam impediret. Undè contritio quantumvis includat votum aliorum præceptorum, puta jejuniandi, non concurrat ad justificationem ut vices generis jejuniandi.

Inst. 1. Quod est necessarium necessitate mediæ ad salutem, non potest per aliud suppleri, ut patet in fide & gratia; atqui ex dictis Baptismus suppleri potest per ejus votum, & per misterium: ergo R. D. Maj. Quod est necessarium necessitate mediæ ex sua natura, ut fides & gratia, non potest suppleri per aliud, C. quod est necessarium ex institutione divina, N. Sic enim Christus justificationem annexit Baptismo, ut tamèn illi suam virtutem non aligeret, volueritque illum suppleri posse per ejus votum & per Martyrium, ut antè probavimus.

Inst. 2. In eo, quod est necessarium necessitate mediæ, ignorantia invincibilis non excusat; atqui excusat in Baptismo, qui enim nihil unquam audivit de Baptismo, non peccat illum non suscipiendo: ergo. R. D. Min. Ignorantia invincibilis excusat in Baptismo, ut præceptum est, C. ut est medium necessarium ad justificationem, N. Non ergo peccat, qui illum ex ignorantia invincibilis omittit; nec propter hanc omissionem damnabitur, sed propter peccatum originale & peccata actualia,

qua remitti non possunt sine Baptismo, aut ejus voto extra casum Martyrii, ut jam dixi.

Petes 1. Quale votum Baptismi requiritur? Respondet Auctor (Hic q. 69. art. 4. ad 2.) requiri explicitum, vel implicitum: scilicet, requiritur explicitum in eo, cui innoscit Baptismus, & eius necessitas: sufficit autem implicitum illi, qui de aliis articulis fidei instructus nihil adhuc de Baptismo audivit: si enim ille intendit observare totam legem Christi, & adhibere omnia ab eo instituta ad consequendam salutem, in hac intentione habet votum implicitum Baptismi, quod contritioni perfecte conjunctum sufficit non solum ad justificationem, ut quidam volunt, sed etiam ad vitam æternam.

Petes 2. An, qui esset sanctificatus in utero, aut via non seminati natus, obsequi peccato originali, deberet baptizari? R. affirmative: 1. Ut fieret membrum Ecclesie, atque Fidelibus, sicut in uno fide, ita in uno signo visibili adunaretur, juxta illud, *una fides, unum Baptisma*. 2. Ut configuraretur Christo per characterem. 3. Ut esset idoneus aliis Sacramentis suscipiendis; ad hæc enim omnia est institutum Baptismus, & non solum ad remissionem peccatorum. Et ideo Paulus, Nicodemus, Eunuchus Candæ Regis, & alii plures Act. 10. qui jam acceperant Spiritum S. baptizati sunt. Neque ideo falsa est circa illos forma Baptismi, *Te baptizo*; quia sensus est: confero tibi gratiam peccati ablutivam: sicut sensus formæ Sacramenti Penitentiae, *Absolve te*, est: confero tibi gratiam peccatorum remissivam, quæ ideo non redditur falsa, dum proferitur supra peccata jam confessa, & remissa, aut super eos, qui perfecta contritione sunt prius justificati.

Petes 3. Utrum Baptismus re susceptus præsupponatur ad validam aliorum Sacramentorum perfectionem? R. affirmative, exacta Eucharistia. Est expressa sententia D. Thom. cit. (In supp. q. 35. art. 5.) quam tripliciter probat: 1. in Arg. s. c. quia juxta communem sensum Ecclesie, SS. Patrum, & Theologorum Baptismus re susceptus, & non solum in voto, est janua, & fundamentum aliorum Sacramentorum; atque sine janua non intratur, & sine fundamento non superædificatur, ut discunt Innoc. mox citandus: ergo. Prob. 2. (Ibid. o.) In corpore Art. Quia nihil potest aliquis recipere, cuius potentiam receptivam non habet; atque per characterem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum, ut alibi diximus: ergo, qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum recipere potest. Probat 3. (Ibid. ad 5.) Ex Jure Canonico Cap. Si quis 1. Extra l. 3. tit. 42. ex Conc. Compendiensi, ubi sic decernitur: *Si quis Presbyter ordinatus deprædiderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*. Non præcipitur autem iterum ordinari, si valeat ordinatio ante Baptizatum. Eadem est ratio de aliis Sacramentis. Idem definit Innoc. III. Cap. veniens ibid.

Neque obstat, quod ibidem dicit hunc casum dubitabilem, ex quo sequitur, quod sententia contraria sit etiam probabilis: postquam enim rationes præ, & contra expendit, dicit: *Nos in hoc casu dubitabili, quod tutius est sequentes, mandamus, &c.* Non obstat, inquam; quia verisimile est dubitationem referre ad Baptizatum hujus Presbyteri, non ad Ordinem sine Baptismo collatum; tum quia immediate ante resolvit ex Concilio Compendiensi, hujusmodi ordinationem esse nullam; tum quia hoc nunquam fuisset tutius ipsum reordinare, sed ab Ordine executione suspendere: tum tandem quia in fine innuit rationem dubitandi de Baptismo præfati Presbyteri, eo quod scilicet esset natus, & conversatus inter Fideles. Unde sensus hujus decretalis est: nos in hoc dubitabili casu de Baptismo, tutius sequentes jubendo præfatum rebaptizari, mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promoveri cures. Cæterum neque Conc. Compendiense, neque S. Thom. neque ullus SS. Patrum, aut antiquorum Theologorum de validitate hujusmodi Ordinis sic unquam dubitavit, ut probabilem crederent. Insignis autem, & dammandæ temeritatis foret a communi sensu Ecclesie, Patrum, & Theologorum recedere sine gravissimis fundamentis; quæ hic deficient.

## ARTICULUS II.

## Utrum pueri sint baptizandi?

Posito ex Art. præcedenti, quod Baptismus sit omnibus necessarius necessitate mediæ ad salutem, sequitur, quod omnes omnino homines etiam parvuli sint baptizandi; hi enim possunt, & debent salvari non minus quam adulti. Quia tamén de illis est aliqua difficultas, & plures Hæretici illos Baptismi incapaces dixerunt, quæstionem hanc cum Auctore instituit. Itaque infantes Baptismi incapaces dixerunt Valdensis, Petrocollossiani, contra quos scripsit Petrus Abbas Cluniacensis; anabaptistæ, qui pueros in infantia baptizatos rebaptizant; eo quod eorum Baptizatum nullum credant. Tertulianus l. de Bapt. c. 18. censet, non conferendum Baptizatum parvulis, nisi ad adultam ætatem pervene-

rint; quia, inquit, Sponsos exponuntur periculo, ne infantes promissiones, quas pro ipsis fecerunt, irritas faciant. Erasmus Ep. quæ præcedit ejus paraphrasin in Matth. ult. parvulos, postquam adoleverunt, interrogandos esse, an ratas habeant promissiones per eorum Sponsos factas: quod si recusaverint eas confirmate, proprio arbitrio illos esse relinquendos, nec ad Christianam vitam cogendos.

Dico. (Hic q. 68. art. 9. o.) Parvuli sunt capaces Baptismi, eosque nedum convenit, sed, & necesse est baptizari. Prob. 1. Ex Scriptura. 1. Est lex generalis Joann. 3. *Nisi qui renatus, &c.* atque infantes sunt capaces regni celestis, ut testatur Christus Matth. 10. Marci 10. Lucæ 18. ergo. Neque dicas, per infantes, & parvulos in his locis intelligi jam ratione utentes, eo quod dicuntur venire; vel parvulos non ætate, sed humilitate. Nam vox græca apud Lucam significat infantem recentem ex utero, & ibidem dicuntur *Alati* ad Christum, Christus dicitur *illos complecti, super illos manus imponere, eis benedicere* declarat eorum esse Regnum celorum; quæ omnia indicant e. infantes nondum ratione utentes, nec malitiæ capaces: unde *Venire* ibi significat *Accedere*, sive per se, sive per alium. Intelligentiam autem de humilitate non est literalis, sed moralis. 2. Act. 16. & 1. Cor. 1. legimus, integras familias fuisse baptizatas, in quibus verisimile est fuisse parvulos. 3. Infantes in antiqua lege circumcidebantur ergo in nova Lege sunt baptizandi. Patet Cons. Quia Baptismus Circumcisioni subrogatus est, Colos. 2. 2. Quia eadem est utriusque necessitas, & idem finis, scilicet, deletio peccati orig. & cooperatio in veram Religionem, & Ecclesiam. 3. Quia gratia non est minor, imò abundantior est in nova, quam in veteri Lege.

Prob. 2. ex Traditione. Dionys. c. ult. Ecclesiast. Hierarc. *Divini nostri Duces*, inquit, *probaverunt, infantes recipi ad Baptizatum*. S. Clemens l. 6. constit. Apost. c. 15. *Baptizate vestros pueros, atque eos educate in disciplina, & monitis Dei*. Orig. in c. 6. Epist. Rom. *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptizatum*, August. serm. 10. de verbis Apost. nunc 176. de Baptismo infantium dicit: *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide suscepti, hoc usque in finem perseveranter custodit*. Consule probationem 5. primæ Conclus. Art. præcedentis. Eandem traditionem confirmat S. Cyr. Ep. 59. ad Fidem. Greg. Nazianz. Orat. 40. in S. Baptizatum. Christos. hom. ad Neoph. Ambros. l. 2. de Abraham c. 11. Hieron. l. 3. contra Pelagianos in fine, & Ep. ad Lætam, ubi arguit sceleris, qui Baptizatum infantibus denegant.

Prob. 3. Ex Conciliis. Conc. Cartha g. sub S. Cyr. ann. 253. rejecit opinionem Fidi Episcopi, qui volebat infantes non esse baptizandos nisi post octavam diem. Patet ex Ep. cit. Cyp. ad ipsum Fidum. Conc. Milevitanum, cui interfuit Aug. ann. 416. Can. 2. sic definit: *Quicumque parvulos recentes ab utero matris baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil esse Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expiatur; Anathema sit*. Idem definiunt Conc. Gerundense ann. 517. Can. 5. Bracarense 7. ann. 571. Senonense ann. 1528. Bituricense 1584. Aqueense 1785. Idem Cap. Parvuli 74. de Consecra. d. 4. & Cap. Majores 3. extra l. 3. tit. 42. ex Innoc. III. damnantur, qui asserunt Baptizatum parvulis inutiliter conferri. Tandem Concil. Trid. sess. 7. Can. 13. de Bapt. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter Fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omittere eorum Baptizatum, quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesie; anathema sit*. Et Can. 14. perstringens opinionem Erasmi: *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrum eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia iterum poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur; anathema sit*.

Prob. 4. Rationibus Theologicis, jam partim insinuatis. 1. Parvuli nascuntur in peccato, capaces sunt æternæ salutis, Baptismus est ipsis unicum medium ad deletionem peccati, & æternæ salutis consecutionem, sunt in continuo repentinae mortis periculo: ergo sunt baptizandi. 2. Christus est Salvator non minus parvulorum, quam adultorum; salvari non possunt sine Baptismo: ergo idem quod prius. 3. Baptismus habet vim ex opere operato: ergo potest in parvulis habere suum effectum. 4. Qui a pueritia est Fidei, & Religioni Christianæ assuetus, firmus illi inhzet: ergo congruit, parvulos baptizari. 5. Per Baptizatum a servitute diaboli liberatur, & minus ab illo impetuntur: ergo idem.

Sci-

Solvuntur objectiones.

OBJ. Baptizandi debent prius r. doceri, Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* 2. Credere, Marci ult. *Qui crederit, & baptizatus fuerit, 3. Penitere, Act. 2. Penitentiam agite, & baptizetur unicusquisque vestrum; atque infantes sunt horum incapaces: ergo. Lutherus, ut ab hoc Anabaptistarum argumento se expediret, finxit infantibus pro instanti Baptismi miraculose accelerari usum rationis: at figmentum derident ipsimet Lutherani. R. hos Scripturæ textus, quoad actus præfactos, spectare adultos, & non infantes. Quia Matth. & Marci ult. mittuntur Apostoli ad gentes idolatras, quas necesse erat instrui: & Act. 2. Petrus alloquebatur eos, qui dicebant: *Quid faciemus, viri fratres?* &c. His ergo textibus jubentur adulti instrui, credere, penitere, priusquam baptizentur; at his infantes horum actuum incapaces nullatenus prohibentur baptizari. Quinimò congruum est, ut, qui solum peccatum orig. ex aliena voluntate contraxerunt pro voluntatem alienam remedium accipiant, juxta illud Aug. Serm. 14. de verbis Apost. nunc 294. *Ad verba aliena salutatur, quia ad factum alienum vulneratur*. Habemus exemplum in Circumcisione, quæ erat figura Baptismi. Abraham jussus circumcidere omnes masculos, procul dubio adultos de hæc æremonia & Dei præcepto instruit, infantes verò octo dierum non instruit, quos tamén circumcidit.*

Inst. 1. Canon. 6. Neocæsariensis dicit, factum in utero matris prægnantis non posse baptizari cum illa, *Quod proprium uniuscuiusque institutum ac propositum in confessione ostendatur: ergo requiritur voluntas & actus proprius in baptizando, non sufficit alienus*. R. verbis laudatis immediate præmittit: *Neque enim ea, que parit, cum fetu, qui paritur, ea in re habet aliquam communem*. Sensus est ergo, quod puer in utero matris non possit salvari neque matris Baptismo, quia illi non applicatur; neque ejus fide, quia fides est unicuique propria, & illam non proficitur infans.

Inst. 2. Infantes non admittuntur ad Eucharistiam: ergo non debent admitti ad Baptizatum. R. 1. Prioribus sæculis infantes admissos fuisse ad Eucharistiam, sed cum id pertinet ad disciplinam, Ecclesia propter graves rationes eos amplius non admittit. 2. N. Cons. Diparitas est 1. quod Baptismus sit absolute necessitatis, non Eucharistia. 2. Quia, ut dicit Trid. Sess. 21. c. 4. *Infantes per Baptizatum lavacro regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt*. Eucharistia autem est cibis ad reparandas vires spirituales, quæ per quotidiana peccata deperduntur.

Inst. 3. Christus non fuit baptizatus nisi anno ætatis 30. ergo nec homines, nisi hunc ætatem attingerint, sunt baptizandi. R. N. Cons. Disparitas est, quod Christus non indigeret Baptismo, homines autem indigent, *Cum Deum dixerit*, inquit Greg. Naz. Orat. 40. *questio a te soluta est; nam ille purgatio ipsamet erat, nec purgatione indigebat, verum tua causa purgabatur*.

Inst. 4. Tertull. l. de Bapt. c. 18. censet, non esse baptizandos parvulos, nisi saltem ad adultam ætatem pervenerint: ergo. R. hanc singularem Tertulliani opinionem ab omnibus rejici, utpote Traditioni & unanimitati Patrum sensui contrariam, ac levibus rationibus nixam.

Inst. 5. Per Baptizatum infantes graves incurrunt obligationes; atque iniquum videtur non consentientibus jurem tam grave imponere: ergo vel parvuli non sunt baptizandi ante adultam ætatem, vel tunc interrogandi, an stent promissis pro se factis a susceptoribus; quod si renuant, libri sunt dimittendi. Ità Erasmus, R. N. Min. Tum quia jugum Christi non est grave, sed leve & suave; tum quia est inevitabile omni volenti salvari; neque adulti possunt illud subterfugere sub poena damnationis æternæ: unde baptizandos infantes nulla fit ipsis injuria, sed magna conferitur gratia; & semel facti per Baptizatum Ecclesie subditi possunt & debent adigi, ut christianè vivant. Paritatem habemus in Circumcisione; qui enim illam infantes acceperant, non censebantur passi injuriam, nec liberi ab observatione totius legis.

Petes 1. Utrum spiritus & filii excommunicatorum sint baptizandi? R. affirmative; quia Baptismus, ut dictum est, necessarius est omnibus, & pro omnibus institutus: neque poena spiritualis puniunt quisquam nisi propter proprium peccatum, juxta illud Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Adde, quod a parentum sanctitate non pendat virtus Sacramenti. Quamvis verò ad Baptizatum superiorum observandum est, quod Parochus debeat inquirere de veris Parentibus, & eorum nomina inquirere, & in Registro baptismali scribere, ut in posterum dignoscere possint impedimenta matrimonii. Si tamén ignorentur, aut si cognita matre pater nesciatur, puta, quia mater non vult indicare, ne forte vel ipsa, vel pater, aut proles infamet, videtur, quod Parochus non debeat ideo

Baptizatum degenerare, aut differre, nec cogere matrem ut reveleat, quæ forte ex charitate & justitia debet tacere. Quod si ex solo matris testimonio noverit patrem, non debet ita mulieri fidere, ut illum absolute scribat in Registro baptismali tamquam verum patrem, sed sub hac clausula, *ut mater ait*.

Petes 2. Utrum & quomodo monstra debent baptizari? R. 1. Si monstrum speciem humanam referat, debet baptizari; aliis non. Si dubietur, dubium est maturè discutendum, & eo manente debet baptizari sub hac conditione, *si tu es homo*: ita Rituale Rom. Judicium autem est sumendum præsertim ex capite, quod est rationis & sensuum sedes. Unde si caput est humanum, & reliqua membra ferina, censendus est homo, & baptizandus absolute. Si verò caput est ferinum, & reliqua membra humana, dubium est, & baptizandus sub conditione. 2. Quando est monstrum ex multiplicatione membrorum, si sit certum informari duobus animabus, seu esse duos homines, debent separatim baptizari, nisi ita urgeat necessitas, ut non suppetat tempus utrumque se junctim baptizandi, quo casu Minister infundendo aquam super utrumque, dicat: *Ego vos baptizo*. Si autem sit dubium, an sint duo vel unus, debet unus absolute baptizari, & alter sub hac conditione, *Si non es baptizatus*. Ità Rit. Rom.

Certum autem videtur, esse duos homines, si sint simul duo capita & duo pectora, quamvis alia membra non sint duplicata: e contra esse unum, si sub uno capite & uno pectore alia membra duplicantur. Si verò sint duo capita cum pectore alia, vel duo pectora sub uno capite, quibusdam videtur tunc etiam esse duos homines: at id non videtur ex omni parte certum aliis, qui dicunt nihil obstat, quominus una & eadem anima informet duo pectora sub uno capite, nec quominus due anime sub duplici capite informet duo corda in eodem pectore. Unde existimant, nec male, magis esse attendendum ad diversitatem operationum.

## ARTICULUS III.

## Utrum pueri in utero matris positi sint baptizandi?

Suppono 1. ex dictis art. 1. contra Gerson. & Cajet. votum Baptismi, a Parentibus conceptum, pueris in utero clausis non sufficere, sive adhibeatur aliqua benedictio, aliudve signum sensibile, sive non. Suppono 2. (Ib. art. 11. o.) Infantem in utero non baptizari Baptismo, matris, si forte contingat eam tunc baptizari: tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur Baptismus, distincta est ab anima matris; tum quia corpus pueri animati jam est formatum, & ideo à corpore matris distinctum: unde Baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in infantem. Aliudè, ut arguit Aug. l. 6. contra Jul. c. 5. si Baptismo matris baptizaretur puer in ejus utero existens, non baptizaretur iterum, dum editur in lucem. Utero ergo tunc baptizetur, manifestum est, quod ad materiam corpus, dum esset in utero, non pertinebat, nec ejus Baptismo sit baptizatus. Et ita definitur in Jure c. *Si ad matris* 114. de consecr. l. 4. Suppono 3. (Ib.) quod si corpus pueri sit ita in utero clausum, ut aqua tangi non possit, inlicitè & illicitè teneatur Baptizatum; quia ablutio aquæ est de necessitate Sacramenti: in casu autem non abluatur, nec abluè potest.

Sed questio est: utrum, si inchoato puerperio & aperto ostio uteri puer possit manu, vel *syringia*, aliove instrumento aqua perfundi, sive scissa secundina juxta quosdam, qui volunt eam non esse partem corporis, sed ejus involuolum tantum, sive ea integra manente juxta alios, qui dicunt hanc pellem esse partem infantis pro hoc statu, eò quod secundum medicos sit illi congenita, & non solum ad regumentum, sed etiam ad ejus nutritionem ordinata. Questio est, inquam, utrum infans in hoc statu possit licitè & validè baptizari?

Dico 1. Probabilius videtur, in casu posito infantem nec licitè nec validè posse baptizari. Est omnium antiquorum, & ex Recentioribus Nat. Alex. Verani, Juenin, Habert, l. Herminier, Gotti, Tournely, Berti, &c. contra quosdam alios recentiores. Prob. 1. ex Scriptura, Augustino interprete. Christus Joann. 3. v. 3. dicit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit de novo, &c.* v. 7. *Oportet vos nasci denuò*: quæ ibidem explicatur de renascencia ex aqua & Spiritu sancto; atque nemo potest nasci denuò, seu renasci, nisi prius fuerit natus, ut per se notum est: ergo. Unde Aug. Ep. 57. nunc 157. ad Didacum dicit: *Non renasci quisquam potest, antequam natus sit*. Infra: *Non video, quomodo edificentur homines in domum Dei, ad habendum in se inabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati fuerint*. Illa sanctificatio, qua efficiuntur & singuli templi Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum; quod nisi nisi homines essent, esse non possunt. Eandem rationem & auctoritatem adhibet Auctor hic art. 11. in arg. 8. &

Res-

Respondent. 1. Scripturam & Ang. intelligi debere de natiuitate non ex utero, sed in utero, qualis exprimitur Math. 1. *Quod in ea natum est.* Sed contra hanc interpretationem ex professio impugnat Aug. ibidem his verbis: *Quod si quis dicit, iam natum esse hominem, etiam cum adhuc est in utero matris, testimoniumque adhibet ex Evangelio, quia dictum est ad Joseph de pregnantē Virgine Domini Matre: Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est: Numquidnam huic natiuitati occedit secunda natiuitas? Alioquin non erit iam secunda, sed tertia Dominus autem cum hinc loqueretur: Nisi quis, inquit, renatus fuerit, cam scilicet computans primam natiuitatem, que fit matre pariente, non concipiente atque pregnantē, que fit ex ea, non que fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tamquam iterum natus sit, quia iam semel natus fuerat in utero. Sed, illa natiuitate non computata, que gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & Spiritu S. secundum quam ex Matre natiuitatem, etiam ipse Dominus in Bethleem Judee dicitur natus. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quomodo restat illi adhuc nasci? reuocatur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest. Hanc ergo aduersariorum responsum non solum improbat Aug. sed etiam rationibus impugnat. 1. Quia si verba Christi intelligantur de natiuitate in utero, regeneratio per Baptismum non erit secunda, sed tertia natiuitas. 2. Et maxime, quia homo in utero generatus non dicitur simpliciter & proprie natus, sed in matre natus: unde illud, *Quod in ea natum est.* Simpliciter autem & proprie dicitur homo natus partu, seu qui ex utero prodit, ut patet ex Scriptura, Math. 2. *Cum natus esset Jesus in Bethleem Judee:* Et: *Ubi est, quia natus est Rex Iudeorum?* Genes. 4. *Seth natus est Filius.* Et alibi Inferunt: ergo homo exsecutus, seu educatus ex utero per operationem, quam Cæsaream appellant, est incapax Baptismi, quia non est proprie natus, unde dicitur S. Raymundus *nonnatus.* R. N. Illationem; quia nasci & in lucem edi sint synonyma: unde proprie dicitur natus, qui ex utero quouis modo prodit. Dicitur autem S. Raymundus *nonnatus,* non quod non esset proprie & simpliciter natus, sed quia non erat natus, ut solent alii, enitente matre. Cæterum nostra questio est de infantibus in utero.*

Respondet 2. Aurelius Pictet quoad Aug. ipsum tantum velle, quod infans in utero matris existens non possit baptizari baptizata matre: quia 1. de peccat. meritis c. 26. ex eodem principio, quo usus est in Ep. ad Dardan. scilicet *qui natus non fuerit, renasci non potest,* concludit: *Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci non potuisse nonnatum,* id est baptizato parente similiter baptizari infantem. Sed contra: 1. Nihil horum legitur in Aug. l. 1. de peccat. merit. c. 26. 2. Est alicubi ista habere Aug. malè concludit aduersarius. Nam *in parente non magis significat baptizari Baptismo parentis, quam baptizari in ejus utero;* imò hoc ultimum magis obviè significat 3. Et præcipue. Est item Aug. alicubi ex hoc suo principio, *nemo renascitur nisi natus,* intulerit infantem in utero matris non posse baptizari Baptismo matris, quia illatio est legitima; at in Ep. ad Dardanum, quam versamus, non hic sistit, sed ex eodem principio concludit generaliter, quod infans in utero matris de lege ordinaria nullo modo possit regenerari & baptizari: *Non video, inquit, quomodo edificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati.* Id autem profectò vidisset, si credidisset infantem in utero existentem posse proprio Baptismo baptizari. Item ibid. *Si homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quomodo restat illi adhuc nasci; renascitur ergo, antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest:* ergo nec suo, nec matris Baptismo.

Prob. 2. Ab auctoritate, & praxi Ecclesie. Cap. *Qui in matris utero* 115. de Consecr. d. 4. dicitur: *Qui in matris utero suscipitur cum matre baptizari non possunt;* quia, *qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest; neque enim dicitur regeneratio in eo potuit, quem generatio non præcessit.* Quæ ratio excludit non solum Baptismum matris, sed etiam proprium. Rit. Rom. Tit. de baptizandis parvulis prohibet, infantem in utero matris baptizari, nisi caput aut aliud membrum extra emiserit: *Nemo in utero matrum baptizari debet: sed si caput emiserit, &c.* ut infra Idem Sacramentale Ambrosianum editum jussu S. Caroli, Pastorale Ecclesie Mechlinensis, Rituale Bononiense, Rituale Greg. XIII. & plura alia; nec forte unum proferri poterit, quod aliter loquatur Idem S. Thom. hic ad 4.

Respondent, Ecclesiam & S. Thom. hæc dixisse in hypothese, quod puer non possit in utero matris abluï. Sed, cum nunc ex observationibus hodiernorum medicorum constet posse abluï, & manu tangi, horum definitionibus non adstruimur. Sed contra 1. Jus Canonicum, & Rit. illa, & S. Thom. non solum in hoc fundantur, quod puer non possit abluï in utero, sed etiam cum Aug. quem citat S. Thom. in Arg. s. c. in hoc,

quod nondum natus non possit renasci. Sive autem possit abluï, sive non, quandiu est totaliter in utero, non potest dici natus secundum ullam sui partem, cum nasci sit extra prodire, & in lucem edi. 2. Uterum in partu aperiri, ideoque infantem posse tangi, non recentiores modo, sed antiquissimi medici dixerunt; dixit ipse Hippocrates de natiuitate puerorum. Id ergo non latebat Ecclesiam & S. Thom. neque in hac hypothese locutus sunt. 3. Si in hac solum suppositione non possit baptizari infans; igitur ex quo contrarium constat, debuisset Ecclesia in re tanti momenti antiqua sua decreta rescindere, & in novis editis jubere baptizari infantes in utero matris, etiamsi nullam sui partem extra emiserint; quod tamen huc usque non fecit.

Prob. 3. ratione. Homo per Baptismum coopertat inter membra visibilia corporis Christi mystici, seu Ecclesie visibilibus: sunt enim Sacramenta signa sensibilia, quibus homines in unum Religionis visibilibus nomen coadunantur, ut alibi diximus ex Aug. atqui infans in nulla sui parte ex utero egressus non potest cooperari inter membra visibilia Ecclesie; nec coadunari in unum Religionis visibilibus nomen: ergo.

Dico 2. (lb. ad 4.) cum Rituali Rom. & S. Thom. citatis. *Si infans caput emiserit, & periculum mortis imminet, baptizetur in capite; nec postea, si vitium evaserit, iterum est baptizandus.* Quia caput est præcipua pars corporis, in qua vigent omnes sensus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem inducit motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur: quia secundum aliquam sui partem est natus: *Et tunc si natus fuerit, erit sub conditione baptizandus:* quia non est certum, an valeat Baptismus in alia corporis parte, quam in capite collatus. Si vero baptizatus, deinceps mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri: quia id pendet ex institutione Ecclesie, & in his favorabilis sunt amplianda. Hæc Ritualis verba videntur quasi excerpta ex Auctore loc. cit. in margine.

Obj. contra 1. Concl. Infans, in utero materno inclusus, est homo viator capax gratiæ, & indigus remedii, cum sit peccato Orig. obnoxius. Si ergo remedium, quod Christus instituit, ad eum pervenire possit, illum sanabit. R. D. Ant. Est homo viator capax gratiæ, & indigus remedii, & hujus remedii capax, N. & hujus remedii incapax. C. Debet enim prius nasci, quam renasci.

Inst. 1. Baptismus est ablutio exterior aque: ergo, qui potest externè abluï, potest baptizari. R. D. Ant. Baptismus est ablutio exterior que fit in subiecto capaci, C. in subiecto incapaci, N. Ablue lapidem, non erit Baptismus. Infans autem in utero ex nulla sui parte natus est Baptismi capax, ut dictum est.

Inst. 2. Adsunt omnia requisita ad essentiam Baptismi scilicet, materia, forma, & intentio Ministri; nec plura requirit Conc. Flor. ergo. R. D. Ant. Adsunt omnia requisita, supponendo subiecti capacitatem, C. secus, N.

Inst. 3. Puer in utero matris est sufficienter natus, ut inficiatur peccato orig. ergo est etiam sufficienter natus, ut ab eo mandetur. R. N. Cons. Disparitas est, quod peccatum Orig. contrahatur carnali generatione, proindeque statim ac animatur factus; at non diluitur nisi Sacramento regenerationis visibili, cuius est incapax, nisi prius natus.

Inst. 4. Infans, de quo est questio, est sufficienter natus corporaliter, ut si tenellum ejus caput lesam fuerit in utero, possit appposito ab obstetrice emplastro juvari, & forte sanari: ergo est etiam sufficienter natus, ut possit Baptismo spiritualiter juvari & sanari. R. N. Conseq. Disparitas est, quod ut curetur corporaliter, non requiritur, quod sit natus; ut curetur spiritualiter Sacramento visibili regenerationis, debet prius esse natus. Adde, quod si medici prohiberent applicari emplastrum, non deberet applicari; ita quia Ecclesia prohibet in casu adhiberi Baptismum, non est adhibendus.

Inst. 5. Si puer in ipsa effusione uteri solum manum extenderit, potest baptizari secundum nos; quidni si ipsa manus, aut forte aliqua pars prior eodem liquore intra uterum baptizetur? R. Disparitatem esse, quod in 2. casu nullo modo possit dici natus, in 1. autem casu potest dici natus secundum aliquam sui partem. Neque tamen dicimus, hujusmodi Baptismum in manu aut pede sic esse certum, ut non debeat repeti sub conditione, si infans perfectè nascatur.

Inst. 6. Infans, de quo agitur, est inchoativè natus: ergo. R. N. Ant. Est quidem in dispositione, ut nascatur, sed nemo dicitur natus, nisi in lucem externè emissus.

Cæterum quoad praxim, cum ista sententia non omni careat probabilitate, & in extremis extrema sint tentanda, non videtur damnandus, qui in hoc casu Baptismum sub conditione tentat.

Pætes, utrum mater prægnans, a medicis desperata, possit aperiri, ut puer extractus valeat baptizari? R. negativè: quia nunquam licet occidere quemquam etiam periculantem; ut alteri subveniatur. Sed expectanda est mors matris, & ea

statim aperta, extrahendus infans, & baptizandus. Quidam excipiunt casum, quo mater est damnata ad mortem, sed satis est differre supplicium, imò & notificationem suæ condemnationis, usquequo pepererit.

## ARTICULUS IV.

*Utrum pueri Judæorum, vel aliorum Infidelium, sint invitis Parentibus baptizandi.*

HUC usque dixi de pueris baptizandis, attenda eorum ætate, & spectato statu ante natiuitatem. Nunc dicendum de ipsis, attenda eorum Parentum voluntate repugnante. Quantum ad pueros Fidelium non est difficultas; quia, cum parentes sint Ecclesie subditi, possunt cogi, ut offerant infantes suos Baptismo; consequenter & a fortiori possunt infantes iis invitatis baptizari. Inter Infideles, quidam subjiciuntur Principibus Christianis, quidam non. Ex primis, quidam subjiciuntur politicè tantum, ut Civis; quidam serviliù, ut mancipia. Item quidam a fide suscepta apostataverunt, ut Hæretici; quidam nondum fidem susceperunt, ut Judæi, Pagani, Mahumetani. Ut certa ab incertis distinguamus.

Suppono 1. Baptismum Infantibus quorumcumque Infidelium, etiam ipsis parentibus invitatis, collatum esse validum; quia adsunt, ut supponitur, omnia essentialia, materia, forma, intentio Ministri, & subiectum capax: neque voluntas, seu intentio parentum offerentium pertinet ad essentiam, sed tantum ad solemnitatem Sacramenti. Non enim scriptum est, inquit Aug. Ep. 27. ad Bonif. *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S.* Unde solum est questio, an licet baptizari possint? Suppono 2. (*Elle art. 10. 9.*) Filios quorumcumque Infidelium adultos posse licitè, si consentiant, baptizari; quia in his, que sunt juris naturalis, vel divini, incipiunt esse suæ potestatis. Suppono 3. Filios Hæreticorum posse licitè parentibus invitatis baptizari; quia, sicut modò dicebam de pueris Fidelium, & ipsi parentes ratione baptismatis suscepti, & ipsi infantes ratione natiuitatis ex parentibus baptizati, sunt subditi Ecclesie Superest ergo difficultas de filiis non adultis Infidelium simpliciter.

Dico 1. (*lb. & 2. 2. q. 10. art. 12. & quodl. 2. art. 7.*) Pueri Infidelium, qui Principibus Christianis non subjiciuntur, vel eis subjiciuntur politicè tantum, non possunt licitè baptizari invitatis parentibus, exceptis certis casibus infra referendis. Est communior cum Auctore contra Scorum, & Scotistas. Prob. 1. (*lb.*) Si pueri Infidelium, qui Principibus Christianis non subjiciuntur, aut civiliter tantum subjiciuntur, invitatis parentibus baptizarentur, vel apud ipsos parentes infideles relinquerentur, vel ab ipsis eriperentur, & separarentur; atque neutrum licet: non primum, propter evidentissimum periculum perversionis, & apostasie in gravem injuriam fidei, & Sacramenti: extra dubium est enim, parvulos parentibus addictos, & eorum pravus moribus, ac ritibus imbutos, cum ad adultam ætatem pervenerint, Baptismo, quem nescientes susceperunt, renuntiaturos, & parentum Religionem secuturos: non secundum; quia eripere pueros nondum adultos a potestate parentum est contra justitiam naturalem; jure enim naturali filii, quandiu carent usu rationis, sunt sub potestate, & cura parentum, non minus quam eorum boves, & oves; nec magis licet illos ab eis auferre, quam cæteras eorum possessiones: ergo.

Pro quibus intelligentia diligenter observandum est cum Cajet. & Soto, quod, cum Deus sit Auctor utriusque juris, scilicet naturalis paterni, & divini de Baptismo, non sit institutus comparatio inter ipsum Deum, & parentes, tamquam inter duas potestates, sed inter Deum ut Auctorem naturæ, & ipsum ut Auctorem fidei, & legis Baptismi. Potuit ergo Deus duplici modo instituere Legem baptizandi omnes, 1. ut impleteret, non obstante jure naturali; 2. ut impleteret, servato jure naturali. Si 1. modò illam instituisset, nulla foret difficultas, & pueri infidelium possent invitatis parentibus baptizari. At non hoc 1. modo, sed 2. legem hanc instituisse existimamus; idque colligimus ex pluribus. 1. Quia ipsemet jus naturale condidit, lex autem fidei, & gratiæ naturam non destruit, sed perficit; disponit enim Deus omnia suaviter. 2. Non legitur in Scripturis, omnes esse baptizandos, derogando juri naturali parentum; sed simpliciter, omnes esse baptizandos, quod debet intelligi salvo jure naturali. Sicut enim, si Princeps mandaret, ut omnes concurrenter ad constructionem arcis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, equidem tunc etiam Nobilitas teneretur concurrere: sed si mandaret simpliciter, ut omnes concurrerent, tunc non censeretur derogare juri, & privilegiis Nobilium. Ità similiter. 3. Lex Baptismi non tollit alia jura naturalia, v. gr. non licet furari, aut occidere matrem ut baptizetur infans, quem habet in utero: ergo nec tollit jus paternum. 4. Noloit Deus per Legem Baptismi derogare juri

naturali, quod habent adulti, ut liberè de se, & suis actibus disponant, & ideo non possunt vi cogi ad Baptismum: ergo nec juri parentum in filios. 5. Denique, hæc esse Dei, & Christi voluntatem, colligimus ex constanti Ecclesie usu, ut jam sum dicturus. Unde

Prob. 2. (*lb. 2. 2. cit.*) Maximam habet auctoritatem Ecclesie consuetudo, quæ semper est æmulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesie, quam auctoritati, vel Aug. vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris; atqui nunquam fuit usus, seu consuetudo Ecclesie, quod Judæorum Filii, & aliorum infidelium, civiliter tantum, & politicè Principibus Christianis subditorum, invitatis parentibus, baptizarentur: ergo. Prob. 3. Min. Quamvis retroactis temporibus fuerint multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, & Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, Ambrosius Theodosio, nunquam tamen id attentaverunt. Et cerè isti Præules zelosisimi non prætermississent a piis illis Imperatoribus impetrare, ut baptizarent istos parvulos, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assercionem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Judæorum, invitatis parentibus, filii baptizarentur. Hæc in terminis S. Thom. Exempla, quæ Adversarii proferunt in contrarium, non sunt ad rem, ut patet ex sol. Obj.

Conf. 1. Non est assignabilis potestas, per quam possint baptizari pueri infidelium, reluctamibus parentibus. Non civillis; quia hæc spectat dumtaxat regimen populi secundum præscripta Juris naturalis, vel humani. Non Ecclesiastica; nihil enim ad eam spectat de his, qui foris sunt, judicare; ut dicit Apost. 1. Cor. 5. Non utraque simul; non enim plus possunt conjunctim quam separatim: ergo. Conf. 2. Non licet Judæis circumcidere alienigenas, aut eorum filios, politicè tantum ipsis subjectos, nisi consensissent, sed tantum vernaculos, & emptios. Gen. 17. Exodi 12. Joseph l. 23. antiq. c. 8. & 11. ergo similiter de Baptismo. Conf. 3. Canonæ ex litteris extra de Convers. infidel. decernitur, quod, Patre ad fidem converso consentiente in Baptismum filii, licet repugnet mater, baptizandus sit filius: ergo a contrario sensu, si ambo infideles repugnent, non est baptizandus.

Quod dixi de jure parentum, idem dic de avo, cui, amoto patre, incumbit cura nepotum, & jus paternum in eos competit. Quidam idem censent de tutoribus, qui sunt loco parentum; sed verius videtur, non esse tantum eorum jus, sicut parentum; nec tantam eis injuriam irrogari ac parentibus, præsertim in terris Principum Catholicorum, quorum auctoritate constituuntur tutores.

Dixi in Conclusionè: *Exceptis certis casibus.* Tres communiter assignantur. Primus casus est. Si puer sit ita morti proximus, ut nulla spes vite moraliter remaneat, potest secretò baptizari, inconsultis parentibus; quia tunc neque puer, moraliter loquendo, exponitur periculo apostasie; neque Minister: sed ipsa mors illum a parentibus eripit: neque injuria, quæ in tali casu videtur irrogari parentibus, est tam gravis, nec tam superstitiosè intelligenda, sed secundum prudentem iudicium, inquit Soto. Et ita solent se gerere Missionarii apud Indos, ut legitur de S. Franc. Xaverio in Ep. ad Francisc. Henricum infra citanda, & de S. Ludovico Bertrando in ejus vita.

Secundus casus. Si puer, sive justè, sive injustè, sit ita a parentum custodia abstractus, ut nulla sit spes reditù ad illos, potest baptizari; quia tunc parentes censentur morti parvulis, & amissis, si non ipsum jus, saltem usum juris paterni, quo uti non possunt. Et sic solent baptizari, qui è longinquis Regionibus, sive per mercatores, sive fortuna belli ad nos deferuntur. Si tamen furto sublati puer non ita distaret a parentibus, quin posset ad illos remitti, aut ita possent consuli, alterutrum esset faciendum; quia per furtum non amittitur jus paternum.

Tertius casus. Si alteruter parentum ad fidem conversus in Baptismum prolis consentiat, altero repugnante, potest baptizari proles. Ità definiit Greg. IX. cap. ex litteris extra de convers. infid. Item Conc. Tolet. 3. ann. 539. c. 14. & Conc. Tolet. 4. ann. 633. can. 63. Ratio est; quia tunc consensus datur ab eo, qui habet jus naturale in puerum; & quamvis alter repugnet, prevalere debet consensus illius, qui cedit in favorem Religionis, & in utilitatem pueri. Neque est periculum Apostasie; quia puer præsumitur instruendus a conjugè fidei. Si tamen contrarium fundatè timeretur, esset abstractendus a parentibus, ut patet ex infra dicendis in fine articuli. Quod dixi de consensu unius conjugis, itè dicendum, si avus, mortuo patre, consentiat, reclamante matre; quia avus habet etiam curam nepotum. Et ita statuisset Gregorium XIII. refert Sylvius.

Dico 2. Filii infidelium mancipiorum, possunt, invitatis paren-